

trivialibus insertis, a me expressa sint, adjiceres post propriorum librorum mentionem Floram meam, ita ut factum video ad Cornum suecicam.

Placuit autem Tibi, Vir Illustris, generatim quasi a me adoptatum nomen citare primum quodque ex Synonymis ad quamlibet Tabulam spectantibus, quod quidem etsi a mea sententia longe alienum factum, ferri tamen potuisset, si modo auctorum libros, unde illa Synonyma petita sunt, simul nominasses. At nunc, quando lectores Tui libri vident e. g. Saxifraga Stellari (atque eadem est ratio in plerisque aliis locis ubi mei mentio fit) lineam ultimam: Sedum alpinum CV Oed. Dan. t. 23, quid quaeso cogitabunt hi lectores de me, quamdiu meum librum non viderunt, neque me norunt, quid deinde de Te, quod pace Tua dixerim, quando libri mei copia ipsis erit? Primo casu insulsum me hominem crederent, nisi forte indulgentia aliquis, cui probabile non erit tali homini opus regio nomini edendum demandari potuisse; aut aliquis assuetus lectioni librorum Clusii errorem typographicum subesse suspicabitur: altero casu mirabuntur mirificam citationem et meis verbis et sententiae meae illatam. Sane, Vir Illustris, si placide velis perpendere totam rem invenies ita comparatam esse, ut qui inimico in me animo me opusque meum tecte deprimere cuperet, hoc fere modo rationes suas instituere posset.

Enimvero persuasum habeo candorem animi Tui a profundissima Tua scientia non superari et longe a Te abesse tale consilium, ut potius mecum doleas locum tali suspicioni datum.

Vix me, Vir Illustris, hucdum in alterutram partem nosse potes, nisi quod Forskålius, uti ipse scripsisti, de me ad Te retulit, et quamquam non inclarui, nihil tamen memini in me esse quod me munusque, cui praefectus sum, in quo quidem omnia de novo ordinanda sunt et intra initia subsistendum est, dedeceat.

Ita ut Te amicitiamque Tuam, si mereri eam contigerit, maximi facio, ita nollim ullius unquam quantumvis celebris viri benevolentiam alio modo sectari quam qui utrunque deceat.